

M. TVLLI CICERONIS
IN L. CATILINAM ORATIO PRIMA

[1] Quo usque tandem abutere, Catilina, patientia nostra? quam diu 1
etiam furor iste tuus nos eludet? quem ad finem sese effrenata iactabit
audacia? nihilne te nocturnum praesidium Palati, nihil urbis vigiliae, nihil
timor populi, nihil concursus bonorum omnium, nihil hic munitissimus
habendi senatus locus, nihil horum ora uultusque mouerunt? patere tua 5
consilia non sentis, constrictam iam horum omnium scientia teneri con-
iurationem tuam non uides? quid proxima, quid superiore nocte egeris,
ubi fueris, quos conuocaueris, quid consili ceperis quem nostrum ignorare
arbitraris? o tempora, o mores! senatus haec intellegit, consul uidet; hic 2
tamen uiuit. uiuit? immo uero etiam in senatum uenit, fit publici consili
particeps, notat et designat oculis ad caedem unum quemque nostrum,
nos autem fortes uiri satis facere rei publicae uidemur, si istius furorem
ac tela uitemus. ad mortem te, Catilina, duci iussu consulis iam pridem 5
oportebat, in te conferri pestem istam quam tu in nos omnes iam diu
machinaris.

An uero uir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum 3
mediocriter labefactantem statum rei publicae priuatus interfecit, Catili-
nam orbem terrae caede atque incendiis uastare cupientem nos con-
sules perferemus? nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Serui-
lius Ahala Sp. Maclium nouis rebus studentem manu sua occidit. fuit, 5
fuit ista quondam in hac re publica uirtus ut uiri fortes acrioribus sup-
pliciis ciuem perniciosum quam acerbissimum hostem coercerent. habe-
mus senatus consultum in te, Catilina, uehemens et graue; non deest rei
publicae consilium neque auctoritas huius ordinis; nos, nos, dico aperte,
consules desumus. [2] decreuit quondam senatus uti L. Opimius consul 4
uideret, ne quid res publica detrimenti caperet: nox nulla intercessit; inter-
fectus est propter quasdam seditionum suspiciones C. Gracchus, claris-
simo patre, auo, maioribus, occisus est cum liberis M. Fuluius consularis.
simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permissa 5
res publica: num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et
C. Seruilius praetorem mors ac rei publicae poena remorata est? at uero
nos uicesimum iam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis.
habemus enim eius modi senatus consultum, uerum inclusum in tabulis
tamquam in uagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim te 10

2 6 pestem istam *C^cβγ*: pestem α 4 9 eius *CAF*: huiusce *ah*: huius *βγ*

interfectum esse, Catilina, conuenit. uiuis, et uiuis non ad deponendam sed ad confirmandam audaciam.

Cupio, patres conscripti, me esse clementem, cupio in tantis rei publicae periculis me non dissolutum uideri, sed iam me ipse inertiae nequitiaeque condemno. castra sunt in Italia contra populum Romanum in Etruriae faucibus collocata, crescit in dies singulos hostium numerus; eorum autem castrorum imperatorem ducemque hostium intra moenia atque adeo in senatu uidemus intestinam aliquam cotidie perniciem rei publicae molientem. si te iam, Catilina, comprehendi, si interfici iussero, credo, erit uerendum mihi ne non potius hoc omnes boni serius a me quam quisquam crudelius factum esse dicat. uerum ego hoc quod iam pridem factum esse oportuit certa de causa nondum adducor ut faciam. tum denique interficere, cum iam nemo tam improbus, tam perditus, tam tui similis inueniri poterit qui id non iure factum esse fateatur. quam diu quisquam erit qui te defendere audeat, uiues, et uiues ita ut uiuis, multis meis et firmis praesidiis obsessus, ne commouere te contra rem publicam possis. multorum te etiam oculi et aures non sentientem, sicut adhuc fecerunt, speculabuntur atque custodient.

[3] Etenim quid est, Catilina, quod iam amplius exspectes, si neque nox tenebris obscurare coeptus nefarios nec priuata domus parietibus continere uoces coniurationis potest, si illustrantur, si erumpunt omnia? muta iam istam mentem, mihi crede, obliuiscere caedis atque incendiorum. teneris undique; luce sunt clariora nobis tua consilia omnia, quae iam mecum licet recognoscas. meministine me ante diem XII Kalendas Nouembres dicere in senatu fore in armis certo die, qui dies futurus esset ante diem VI Kalendas Nouembres, C. Manlium, audaciae satellitem atque administrum tuae? num me fefellit, Catilina, non modo res tanta, tam atrox tamque incredibilis, uerum, id quod multo magis est admirandum, dies? dixi ego idem in senatu caedem te optimatum contulisse in ante diem V Kalendas Nouembres, tum cum multi principes ciuitatis Roma non tam sui conseruandi quam tuorum consiliorum reprimendorum causa profugerunt. num infitari potes te illo ipso die meis praesidiis, mea diligentia circumclusum commouere te contra rem publicam non potuisse, cum tu discessu ceterorum nostra tamen qui remansissemus caede contentum te esse dicebas? quid? cum tu te Praeneste Kalendis ipsis Nouembribus occupaturum nocturno impetu esse confideres, sensistine illam coloniam meo iussu meis praesidiis, custodiis, uigiliis esse munitam?

5 4 uidemus $\beta\gamma$: uidetis α 6 1-2 ut uiuis $\beta\gamma$: ut nunc uiuis $\alpha\omega$ 6 coeptus $\beta\gamma$: coetus α 7 coniurationis $AV\gamma$: coniurationis tuae $a\beta$ 8 1 tu te $\beta\gamma$: te α : tu u

nihil agis, nihil moliris, nihil cogitas quod non ego non modo audiam, sed etiam uideam planeque sentiam.

[4] Recognosce mecum tandem noctem illam superiorem; iam intelleges multo me uigilare acrius ad salutem quam te ad perniciem rei publicae. dico te priore nocte uenisse inter falcarios — non agam obscure — in M. Laecae domum; conuenisse eodem complures eiusdem amentiae scelerisque socios. num negare audes? quid taces? conuincam, si negas. uideo enim esse hic in senatu quosdam qui tecum una fuerunt. o di immortales! ubinam gentium sumus? quam rem publicam habemus? in qua urbe uiuimus? hic, hic sunt nostro in numero, patres conscripti, in hoc orbis terrae sanctissimo grauissimoque consilio, qui de nostro omnium interitu, qui de huius urbis atque adeo de orbis terrarum exitio cogitent! hos ego uideo consul et de re publica sententiam rogo et quos ferro trucidari oportebat eos nondum uoce uulnero! fuisti igitur apud Laecam illa nocte, Catilina, distribuisti partes Italiae, statuisti quo quemque proficisci placeret, delegisti quos Romae relinqueres, quos tecum educeres, discipulisti urbis partes ad incendia, confirmasti te ipsum iam esse exiturum, dixisti paulum tibi esse etiam nunc morae, quod ego uiuerem. reperti sunt duo equites Romani qui te ista cura liberarent et se illa ipsa nocte paulo ante lucem me in meo lectulo interfecturos esse pollicerentur. haec ego omnia uixdum etiam coetu uestro dimisso comperi; domum meam maioribus praesidiis muniui atque firmaui, exclusi eos quos tu ad me salutatum mane miseras, cum illi ipsi uenissent quos ego iam multis ac summis uiris ad me id temporis uenturos esse praedixeram.

[5] Quae cum ita sint, Catilina, perge quo coepisti: egredere aliquando ex urbe; patent portae: proficiscere. nimium diu te imperatorem tua illa Manliana castra desiderant. educ tecum etiam omnes tuos, si minus, quam plurimos; purga urbem. magno me metu liberabis, modo inter me atque te murus intersit. nobiscum uersari iam diutius non potes: non feram, non patiar, non sinam. magna dis immortalibus habenda est atque huic ipsi Ioui Statori, antiquissimo custodi huius urbis, gratia, quod hanc tam taetram, tam horribilem tamque infestam rei publicae pestem totiens iam effugimus. non est saepius in uno homine summa salus periclitanda rei publicae. quam diu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me praesidio sed priuata diligentia defendi. cum proximis comitiis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere uoluisti, compressi conatus tuos nefarios amicorum praesidio et copiis

4 quod non ego] non *inser. Halm'*
 $\alpha\beta$

9 3 nostro in *Mart. Cap. 5.505, Schol. Gron. Bly*: in nostro

nullo tumultu publice concitato. denique, quotienscumque me petisti, per
 10 me tibi obstiti, quamquam uidebam perniciem meam cum magna calami-
 12 tate rei publicae esse coniunctam. nunc iam aperte rem publicam uni-
 uersam petis, templa deorum immortalium, tecta urbis, uitam omnium
 ciuium, Italiam denique totam ad exitium et uastitatem uocas. quare, quo-
 5 niam id quod est primum et quod huius imperi disciplinaeque maiorum
 proprium est, facere nondum audeo, faciam id quod est ad seueritatem
 lenius, ad communem salutem utilius. nam si te interfici iussero, residebit
 in re publica reliqua coniuratorum manus; sin tu, quod te iam dudum
 hortor, exieris, exhaurietur ex urbe tuorum comitum magna et perniciosa
 sentina rei publicae.

13 Quid est, Catilina? num dubitas id me imperante facere quod iam
 tua sponte faciebas? exire ex urbe iubet consul hostem. interrogas me,
 num in exilium? non iubeo sed, si me consulis, suadeo. [6] quid est enim,
 Catilina, quod te iam in hac urbe delectare possit? in qua nemo est extra
 5 istam coniurationem perditorum hominum qui te non metuat, nemo qui
 non oderit. quae nota domesticae turpitudinis non inusta uitae tuae est?
 quod priuatarum rerum dedecus non haeret in fama? quae libido ab
 oculis, quod facinus a manibus umquam tuis, quod flagitium a toto cor-
 pore afuit? cui tu adulescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses
 14 non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti? quid
 uero? nuper cum morte superioris uxoris nouis nuptiis domum uacue-
 fecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? quod
 ego praetermitto et facile patior sileri, ne in hac ciuitate tanti facinoris
 5 immanitas aut exstitisse aut non uindicata esse uideatur. praetermitto
 ruinas fortunarum tuarum quas omnes impendere tibi proximis Idibus
 senties; ad illa uenio quae non ad priuatam ignominiam uitiorum tuorum,
 non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem sed ad summam
 rem publicam atque ad omnium nostrum uitam salutemque pertinent.
 15 potestne tibi haec lux, Catilina, aut huius caeli spiritus esse iucundus,
 cum scias esse horum neminem qui nesciat te pridie Kalendas Ianuarias
 Lepido et Tullo consulibus stetisse in comitio cum telo, manum consulum
 et principum ciuitatis interficiendorum causa parauisse, sceleri ac furori
 5 tuo non mentem aliquam aut timorem tuum sed fortunam populi Romani
 obstitisse? ac iam illa omitto (neque enim sunt aut obscura aut non multa
 commissa postea); quotiens tu me designatum, quotiens uero consulem
 interficere conatus es! quot ego tuas petitiones ita coniectas ut uitari posse
 non uiderentur parua quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi!

14 2 domum βγ: locum α

nihil agis, nihil assequeris neque tamen conari ac uelle desistis. quotiens
 16 iam tibi extorta est ista sica de manibus, quotiens uero excidit casu aliquo
 et elapsa est! tamen ea carere diutius non potes. quae quidem quibus
 abs te initiata sacris ac deuota sit nescio, quod eam necesse putas esse in
 consulis corpore defigere. 5

[7] Nunc uero quae tua est ista uita? sic enim iam tecum loquar, non
 ut odio permotus esse uidear, quo debeo, sed ut misericordia, quae tibi
 nulla debetur. uenisti paulo ante in senatum. quis te ex hac tanta frequen-
 tia, tot ex tuis amicis ac necessariis salutauit? si hoc post hominum memo-
 10 riam contigit nemini, uocis exspectas contumeliam, cum sis grauissimo
 iudicio taciturnitatis oppressus? quid, quod aduentu tuo ista subsellia
 uacuefacta sunt, quod omnes consulares, qui tibi persaepe ad caedem con-
 stituti fuerunt, simul atque assedisti, partem istam subselliorum nudam
 atque inanem reliquerunt, quo tandem animo hoc tibi ferendum putas?
 serui mehercule mei si me isto pacto metuerent ut te metuunt omnes 17
 ciues tui, domum meam relinquendam putarem; tu tibi urbem non
 arbitraris? et si me meis ciuibus iniuria suspectum tam grauiter atque
 offensum uiderem, carere me aspectu ciuium quam infestis omnium oculis
 5 conspici mallet; tu cum conscientia scelerum tuorum agnoscas odium
 omnium iustum et iam diu tibi debitum, dubitas quorum mentes sen-
 susque uulneras, eorum aspectum praesentiamque uitare? si te parentes
 timerent atque odissent tui neque eos ratione ulla placare posses, ut opinor,
 ab eorum oculis aliquo concederes. nunc te patria, quae communis est
 10 parens omnium nostrum, odit ac metuit et iam diu nihil te iudicat nisi de
 parricidio suo cogitare; huius tu neque auctoritatem uerebere nec iudi-
 cium sequere nec uim pertimesces? quae tecum, Catilina, sic agit et quo-
 18 dam modo tacita loquitur: 'Nullum iam aliquot annis facinus exstitit nisi
 per te, nullum flagitium sine te; tibi uni multorum ciuium neces, tibi
 uexatio direptioque sociorum impunita fuit ac libera; tu non solum ad
 5 neglegendas leges et quaestiones uerum etiam ad euertendas perfringen-
 dasque ualuisti. superiora illa, quamquam ferenda non fuerunt, tamen
 ut potui tuli; nunc uero me totam esse in metu propter unum te, quic-
 quid increpauerit, Catilinam timeri, nullum uideri contra me consilium
 iniri posse quod a tuo scelere abhorreat non est ferendum. quam ob rem
 10 discede atque hunc mihi timorem eripe; si est uerus, ne opprimar, sin
 falsus, ut tandem aliquando timere desinam.' [8] haec si tecum, ita
 19 ut dixi, patria loquatur, nonne impetrare debeat, etiam si uim adhibere
 non possit? quid, quod tu te ipse in custodiam dedisti, quod uitandae

16 3 tamen . . . potes] del. Heumann

19 3 ipse αβγ: om. CVA b Audax GL 7.354, 27

suspicionis causa ad M'. Lepidum te habitare uelle dixisti? a quo non
 5 receptus etiam ad me uenire ausus es atque ut domi meae te asseruarem
 rogasti. cum a me quoque id responsum tulisses, me nullo modo posse
 isdem parietibus tuto esse tecum, qui magno in periculo essem quod
 isdem moenibus contineremur, ad Q. Metellum praetorem uenisti. a quo
 10 repudiatus ad sodalem tuum, uirum optimum, M. Metellum, demigrasti,
 quem tu uidelicet et ad custodiendum te diligentissimum et ad suspi-
 candum sagacissimum et ad uindicandum fortissimum fore putasti. sed
 quam longe uidetur a carcere atque a uinculis abesse debere qui se ipse
 20 iam dignum custodia iudicari? quae cum ita sint, Catilina, dubitas,
 si emori aequo animo non potes, abire in aliquas terras et uitam istam
 multis suppliciis iustis debitisque ereptam fugae solitudinique mandare?

'Refer', inquis, 'ad senatum'; id enim postulas et, si hic ordo placere sibi
 5 decreuerit te ire in exsilium, obtemperatum te esse dicis. non referam,
 id quod abhorret a meis moribus, et tamen faciam ut intellegas quid hi
 de te sentiant. egredere ex urbe, Catilina, libera rem publicam metu, in
 exsilium, si hanc uocem exspectas, proficiscere. quid est? ecquid attendis,
 ecquid animaduertis horum silentium? patiuntur, tacent. quid expec-
 10 tas auctoritatem loquentium, quorum uoluntatem tacitorum perspicias?
 at si hoc idem huic adulescenti optimo P. Sestio, si fortissimo uiro
 21 M. Marcello dixissem, iam mihi consuli hoc ipso in templo senatus iure
 optimo uim et manus intulisset. de te autem, Catilina, cum quiescunt,
 probant, cum patiuntur, decernunt, cum tacent, clamant, neque hi solum
 5 quorum tibi auctoritas est uidelicet cara, uita uilissima, sed etiam illi equi-
 tes Romani, honestissimi atque optimi uiri, ceterique fortissimi ciues qui
 circumstant senatum, quorum tu et frequentiam uidere et studia per-
 spicere et uoces paulo ante exaudire potuisti. quorum ego uix abs te
 iam diu manus ac tela contineo, eosdem facile adducam ut te haec quae
 10 uastare iam pridem studes relinquentem usque ad portas prosequantur.

22 [9] Quamquam quid loquor? te ut ulla res frangat, tu ut umquam
 te colligas, tu ut ullam fugam meditare, tu ut ullum exsilium cogites? uti-
 nam tibi istam mentem di immortales duint! tametsi uideo, si mea uoce
 perterritus ire in exsilium animum induxeris, quanta tempestas inuidiae
 5 nobis, si minus in praesens tempus recenti memoria scelerum tuorum, at
 in posteritatem impendeat. sed est tanti, dummodo tua ista sit priuata
 calamitas et a rei publicae periculis seiungatur. sed tu ut uitis tuis com-
 moueare, ut legum poenas pertimescas, ut temporibus rei publicae cedas

20 4 placere sibi CAV: sibi placere βγ 21 2-3 senatus iure optimo α: iure optimo senatus
 βγ 22 2 colligas CAV: corrigas αβγ

non est postulandum. neque enim is es, Catilina, ut te aut pudor a turpi-
 tudine aut metus a periculo aut ratio a furore reuocarit. quam ob rem, 23
 ut saepe iam dixi, proficiscere ac, si mihi inimico, ut praedicas, tuo con-
 flare uis inuidiam, recta perge in exsilium; uix feram sermones hominum,
 si id feceris, uix molem istius inuidiae, si in exsilium iussu consulis ieris,
 sustinebo. sin autem seruire meae laudi et gloriae mauis, egredere cum 5
 importuna sceleratorum manu, confer te ad Manlium, concita perditos
 ciues, secerne te a bonis, infer patriae bellum, exsulta impio latrocinio,
 ut a me non eiectus ad alienos, sed inuitatus ad tuos isse uidearis.
 quamquam quid ego te inuitem, a quo iam sciam esse praemissos qui 24
 tibi ad Forum Aurelium praestolarentur armati, a quo sciam pactam
 et constitutam cum Manlio diem, a quo etiam aquilam illam argen-
 team, quam tibi ac tuis omnibus confido perniciosam ac funestam futu-
 ram, cui domi tuae sacrarium constitutum fuit, sciam esse praemissam? 5
 tu ut illa carere diutius possis quam uenerari ad caedem proficiscens
 solebas, a cuius altaribus saepe istam impiam dexteram ad necem ciuium
 transtulisti? [10] ibis tandem aliquando quo te iam pridem ista tua 25
 cupiditas effrenata ac furiosa rapiebat; neque enim tibi haec res affert
 dolorem, sed quandam incredibilem uoluptatem. ad hanc te amentiam
 natura peperit, uoluntas exercuit, fortuna seruauit. numquam tu non
 modo otium sed ne bellum quidem nisi nefarium concupisti. nactus es 5
 ex perditis atque ab omni non modo fortuna uerum etiam spe derelictis
 conflata improborum manum. hic tu qua laetitia perfruire, quibus 26
 gaudiis exsultabis, quanta in uoluptate bacchabere, cum in tanto numero
 tuorum neque audies uirum bonum quemquam neque uidebis! ad huius
 uitae studium meditati illi sunt qui feruntur labores tui, iacere humi non
 solum ad obsidendum stuprum uerum etiam ad facinus obeundum, uigi- 5
 lare non solum insidiantem somno maritorum uerum etiam bonis otioso-
 rum. habes ubi ostentes tuam illam praeclaram patientiam famis, frigoris,
 inopiae rerum omnium, quibus te breui tempore confectum esse senties.
 tantum profeci, cum te a consulatu reppuli, ut exsul potius temptare quam 27
 consul uexare rem publicam posses, atque ut id quod esset a te scelerate
 susceptum latrocinium potius quam bellum nominaretur.

[11] Nunc, ut a me, patres conscripti, quandam prope iustam patriae
 querimoniam detester ac deprecer, percipite, quaeso, diligenter quae 5
 dicam et ea penitus animis uestris mentibusque mandate. etenim si
 mecum patria, quae mihi uita mea multo est carior, si cuncta Italia, si

24 2 a quo] ad quo (sic) B: cum αβγ: cui Gulielmius 5 sa[sacrarium ut uid. B (cf. Maslowski ad
 loc.): sacrarium scelerum α: sacrarium scelerum tuorum βγ

omnis res publica sic loquatur: 'M. Tulli, quid agis? tune eum quem esse
 hostem comperisti, quem ducem belli futurum uides, quem exspectari
 10 imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis,
 euocatorem seruorum et ciuium perditorum, exire pati, ut abs te non emissus ex urbe
 sed immissus in urbem esse uideatur? nonne hunc in uincla duci, non ad mortem
 28 rapi, non summo supplicio mactari imperabis? quid tandem te impedit? mosne
 maiorum? at persaepe etiam priuati in hac re publica perniciosos ciues morte multarunt.
 an leges quae de ciuium Romanorum supplicio rogatae sunt? at numquam in hac urbe
 qui a re publica defecerunt ciuium iura tenuerunt. an inuidiam
 5 posteritatis times? praeclaram uero populo Romano refers gratiam qui te,
 hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum tam mature ad summum
 imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter inuidiam aut alicuius
 periculi metum salutem ciuium tuorum neglegis.
 29 sed si quis est inuidiae metus, non est uehementius seueritatis ac fortitudinis
 inuidia quam inertiae ac nequitiae pertimescenda. an, cum bello uastabitur
 Italia, uexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas inuidiae incendio
 conflagraturum?'

5 [12] His ego sanctissimis rei publicae uocibus et eorum hominum qui hoc idem
 sentiunt mentibus pauca respondebo. ego, si hoc optimum factu iudicarem,
 patres conscripti, Catilinam morte multari, unius usuram horae gladiatori
 isti ad uiuendum non dedissem. etenim si summi uiri et clarissimi ciues
 Saturnini et Gracchorum et Flacci et superiorum
 10 complurium sanguine non modo se non contaminarunt sed etiam honestarunt,
 certe uerendum mihi non erat ne quid hoc parricida ciuium interfecto
 inuidiae in posteritatem redundaret. quodsi ea mihi maxime impenderet,
 tamen hoc animo fui semper ut inuidiam uirtute partam gloriam, non
 30 inuidiam putarem. quamquam nonnulli sunt in hoc ordine qui aut ea quae
 imminent non uideant aut ea quae uident dissimulent; qui spem Catilinae
 mollibus sententiis aluerunt coniurationemque nascentem non credendo
 corroborauerunt; quorum auctoritatem secuti multi
 5 non solum improbi uerum etiam imperiti, si in hunc animaduertissem,
 crudeliter et regie factum esse dicerent. nunc intellego, si iste quo intendit,
 in Manliana castra, peruenerit, neminem tam stultum fore qui non uideat
 coniurationem esse factam, neminem tam improbum qui non fateatur.
 hoc autem uno interfecto intellego hanc rei publicae pestem paulisper
 10 reprimi, non in perpetuum comprimari posse. quodsi se eiecerit secumque
 suos eduxerit et eodem ceteros undique collectos naufragos aggregarit,

27 8 sic *Quint. inst.* 9.2.32; cf. 18.1 : om. *cett.*

extinguetur atque delebitur non modo haec tam adulta rei publicae pestis
 uerum etiam stirps ac semen malorum omnium. [13] etenim iam
 31 diu, patres conscripti, in his periculis coniurationis insidiisque uersamur,
 sed nescio quo pacto omnium scelerum ac ueteris furoris et audaciae
 maturitas in nostri consulatus tempus erupit. hic si ex tanto latrocinio
 iste unus tollatur, uidebimur fortasse ad breue quoddam tempus cura et
 5 metu esse releuati, periculum autem residebit et erit inclusum penitus
 in uenis atque in uisceribus rei publicae. ut saepe homines aegri morbo
 graui cum aestu febrique iactantur, si aquam gelidam biberunt, primo
 releuari uidentur; deinde multo grauius uehementiusque affliguntur, sic
 10 hic morbus qui est in re publica releuatus istius poena uehementius reliquis
 uiuis ingrauescet. quare secedant improbi, secernant se a bonis, unum
 32 in locum congregentur, muro denique, quod saepe iam dixi, secernantur a
 nobis; desinant insidiari domi suae consuli, circumstare tribunal praetoris
 urbani, obsidere cum gladiis curiam, malleolos et faces ad inflammandam
 urbem comparare. sit denique inscriptum in fronte unius cuiusque
 5 de re publica sentiat. polliceor uobis hoc, patres conscripti, tantam in
 nobis consulibus fore diligentiam, tantam in uobis auctoritatem, tantam
 in equitibus Romanis uirtutem, tantam in omnibus bonis consensionem
 ut Catilinae profectio omnia patefacta, illustrata, oppressa, uindicata
 10 esse uideatis.

Hisce ominibus, Catilina, cum summa rei publicae salute, cum
 33 tua peste ac pernicie cumque eorum exitio, qui se tecum omni scelere
 parricidioque iunxerunt, proficiscere ad impium bellum ac nefarium. tu,
 Iuppiter, qui isdem quibus haec urbs auspiciis a Romulo es constitutus,
 quem Statorem huius urbis atque imperi uere nominamus, hunc et huius
 5 socios a tuis ceterisque templis, a tectis urbis ac moenibus, a uita
 fortunisque ciuium omnium arcebis et homines bonorum inimicos, hostes
 patriae, latrones Italiae scelerum foedere inter se ac nefaria societate
 coniunctos aeternis suppliciis uiuos mortuosque mactabis.

32 6 uobis hoc $\beta\gamma$: hoc uobis *Bab*

33 6 a tuis *a* : a tuis (a uis *B*) aris (sacris *o*) $\beta\beta\gamma$